



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De hominibus, qui viderunt reliquias montis Gudinsberg transmigrare in
Stromberg, cap. 46.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

altare miri decoris, & ante altare multæ reuerentiæ personarum; cuius pulchritudo inestimabilis erat nimis, quam cum interrogasset, quæ esset, vel cuius officij, respondit; Ego sum Archægelus, qui præsentio animas ante Dominum. Et illa: Nunquid domine & animas de ordine nostro præsentas? Etiam, inquit, omnium in ordine tuo bene viuentium animas, monachorum videlicet, Conuersorum, & sanctimonialium, ego præsentio ante Deum, & adjecit: Non modò morieris, sed in proximo pascha, quod ita factum est: nam cum per aliquot dies egrotaret, & penè quotidie communicaret, in agonia posita viaticum sibi dari petijt, cum quo, nondum plenè mastico, spiritum reddidit cælo. Cum esset adhuc in prædicto mentis excessu, venerabilis verè beata virgo Christina, vidit super altare mitram magni decoris pendentem, & cum requireret ab Angelo, quid futurum esset de anima cuiusdam sacerdotis, quem specialiter diligebat, cuius tunc recordabatur, respondit: Cum obierit, mitra hac capiti eius imposta, ante Dominum illum representabo. APOLLONIVS: Quem putas Angelum istum fuisse? CÆSARIVS: Sanctum Michaëlem, qui, vt dicit auctoritas, præpositus est Paradisi; cæteris enim Angelis diligentior est circa genus humanum. Vnde in Daniele legitur fuisse princeps filiorum Israël. Hinc est quòd suam memoriam in terris habere voluit, vt ab hominibus, de quorum salute sollicitus est, agnosceretur, diligeretur, & obsequijs veneraretur. APOLLONIVS: Quid si in aliquo loco sibi deputato minus veneratur? CÆSARIVS: Ibi & minora eius beneficia experiuntur, ita vt aliquando etiam præsentialiter inde recedere videatur, secundum testimonium subsequenter visionis.

Dan. 10.

CAPVT XLVI.

EO tempore quo dominus Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, qui adhuc superest, castrum in Gudinsberg ædificauit, sacerdos quidam religiosus Colonia rediens, cum monti iam dicti nominis propinquasset, sanctum Michaëlem Archangelum in specie bene nota, de eo, in vicinum montem,

S. Michaëlis cultu neglecto, deseritis locū sibi dicatū.

I i

qui

DE DIVERSIS VISIONIBVS

qui Ströberg dicitur, in quo memoria est Petri principis Apostolorum, alis extensis volare conspexit. Eodem tempore homo quidam, Theodericus nomine, de villa proxima cum vxore ad ecclesiam properans, de prædicto monte capsellam cum reliquijs, quam sæpe viderat, super Strömberg per aërem duci vidit: ambo illam viderunt, & vsque hodie testes sunt ambo tantæ visionis; si mihi minus credis, interroga dominum Wilhelmum sacerdotem in Strömberg, qui se ab ore illorum, qui hæc viderunt, audiuisse testatur, & dicet tibi: Habebat enim & adhuc habet sanctus Archangelus in Gudinsberg, vel, vt alij dicunt, in * Wudinsberg, Ecclesiam nomini suo consecratam, & cum esset mons idem fortis satis, & ad munimen prouincie bene situs, nullus tamen in eo castrum ædificare præsumpsit, quia hoc non posse fieri, ob prædictam memoriam, ab incolis referebatur: prædictus verò Theodericus, huiusmodi verba non attendens, & castrum in eo ædificans, antequam muros eius perfecisset, depositus est. Nec miror, si ab eodem castro angelica recesserunt subsidia, cuius omnia ædificia penè ex vsuris cuiusdam Iudæi, quem præfatus Episcopus ceperat, sunt constructa. Quam potenter S. Michael electorum animas in exitu ab inimicis defendat, audies in distinctione xij. capitulo quinto. Non solum beatus Michael cum cæteris cælestis militiae exercitijs fideles protegit cum moriuntur, sed etiam in præfenti ab hostibus visibilibus.

CAPVT XLVII.

*Angeli
homines
protegunt
etiam ab
hostibus
visibili-
bus.*

Non est diu, quod sex milites templi in vicinia Saracenorum horam quandam canonicam prostrati dicebāt, ex inopinato paganis superuenientibus, cum illi surgere vellent & fugere, magister eis innuit vt iacerent. Mira res, vt rex cælestis ostenderet, quātum ei magistri fides, & discipulorum obedientia placeret, angelos suos misit, à quibus infidelium turba turbata est, quidam capti, & plures occisi, cumq; eos, quos angeli vinxerāt, templarij comprehendissent, & illi dicerent: *Ybi est exercitus, quem dudum*